nous la [illegible]

Nowo-Tacin.
567.

AN POLITICI HORUM TEMPORUM IN NUMERO Christianorum sint habendi.

ORATIO ACADEMICA.

AuTHORE THOMA Stapletonio Anglo, S. Theologiæ Doctore, &c.

IMPRESSUM
Anno post Christum natum.
M. DCII.

AN POLITICI HORUM TEMPORUM IN NUMERO Christianorum sint habendi.

Oratio quodlibetica Duaci habita.

QUod Ezechias Rex Juda post Davidem optimus, in summa rerum omnium calamitate, quum Sennacherib Rex Syriæ cum exercitu potentissimo Hierosolymã gravi obsidione premeret, ejusq; Dux Rabsaces audiente populo Deum blasphemaret, dixit. *Dies tribulationis & increpationis & blasphemiæ Dies iste, venerunt filii usq; ad partum, & vires non habet paturiens* ; hoc in Ecclesiæ ac Religionis Christianæ gravissima hodie 4. Reg. 19

perturbatione dicendum mihi & exclamandũ, videtur. Nam ut nullus acerbior corporis dolor, aut cruciatus vehementior est, quám is quem sustinet mulier parturiens & vires pariendi non habens; ita nulla vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel civilis, vel Ecclesiastici corporis, acrior afflictio aut casus durior esse potest, quàm multis maximisq; malis gravidam ac fæcundam esse & in illis depellendis ingentes quotidie labores perferre, quasiq; jam in proximo eorum liberationem parturire, nec tamen aliquando parere, aut malorũ exitum invenire posse.

Joan.16. *Mulier quidem cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus.* Sed prolem mox enixa

nixa, *Jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Sic (inquit Christus) *vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ecclesiæ calamitates & persecutiones ac vexationes acerbæ, quas partui muliebri Salvator accomparat, graves haud dubié bonorum cruces sunt, multisq; vulneribus & plagis, multis contumeliis & ludibriis Christi corpus mysticum afficiunt, *dies sunt tribulationis & increpationis & blasphemiæ.* Sed dulcis est & consolatione plena Christi promissio: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Veniet celeriter tribulationum finis, transibit tempestas, redibit serenitas. Et sic quidem hactenus omnes Ecclesiæ

tribulationes, omnes hæresum tempestates, quantumcumq; acerbæ, quantumcumq; validæ & potentes, finem tamen & exitum celerem acceperūt: Ut cessante sub Constantii mortem Ariana persecutione, dixit S. Hieronymus: *Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam supererat spei. Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas rediit.* Atqui hodiernæ hæreses, horum temporum diuturnæ, variæ, & per totum feré Christianam Europam calamitates, medica manu jam dudum illis apposita, mediis multis & magnis ad curandum adhibitis, curari hactenus non po-

In dial. adversus Luceferianos.

Horum temporũ calamitas.

po-

potuerunt. Venerunt filii usque ad partum. In proximo affulgebat serenitas, pax, liberatio: sed vires non habuit parturiens. Corpus Christianæ Reipublicæ, parere non potuit. Ex alia aliqua causa sic debile & infirmum factum est, ut in partu semper laboret; nec eniti unquam queat & niti semper debeat, nec prolem educere nec á parturiendo cessare; nec labores superare, nec labore defungi valeat. Quæ tandem hujus tantæ tamque atrocis calamitatis causa esse potest? Quid tandem Reip. Christianæ corpus ita debilitavit, ut semper parturiens parere nequeat? in perpetuo gemitu exitum dolorum non inveniat? perpetuo inarmis

perpetuo in acie ſtans, nec in pugna victoriam, nec pugnandi finem poſt tot exantlatos labores, poſt tam glorioſa ſuorum certamina, poſt tot fuſos ac proſtratos hoſtes, adhuc conſequi queat? Dicam apertius. unde factum eſt ut contra hæreſes & hæreticos ab annis jam ſexaginta, & Catholicorum ſcriptis acerrimè decertando, & magnorum Principum ſtudio, conſiliis, armis fortiter dimicando, imó jam pridem toti quaſi Catholicæ Eccleſiæ copiis contra hoſtē in aciem productis, maximam vim atq; impreſſionem faciendo, nihil adhuc in cauſa provectum ſit? in nullo levari parturiens potuit? ſed contrá in ſuo robore ac vigore hæ-

reses permaneant ? imó quod turpe est dicere, & taceri non debet, de inanibus Catholicorum conatibus hæretici triumphant? Quid tandem aliud, nisi quia *Rachel plorat filios suos, & noluit consolari*, id est non potuit, *quia non sunt*. Non sunt filii, qui putantur esse; Non sunt Catholici, qui dicuntur tales. Nisi quia, ut olim caput, sic nũc corpus dicit. *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*, quia habet suos Judas collegium Apostolorum; quia (ut Apostolorum maximus de se ipso dixit) *periculum est in falsis fratribus*, imó non periculum, sed pernicies facta est á falsis fratribus: Nisi quia clamor ille veteris Prophetæ auribus nostris iterum

Hæreses cur adhuc proficiũt & crescunt.

Matth. 2.

Joan. 13.

2. Cor. 11.

Esai. 1. | Cant. 1. | Politicorum judicia, voces, axiomata,

ingeminatur, *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Deniq; nisi quia propter tam longas & graves persecutiones denigrata Ecclesia Catholica, jam *consideratur ut fusca, & jam filii ejus pugnaverunt contra eam.* Dicam apertius: Non alia horum malorum causa, quám falsi, ficti & simulati Christiani, qui nec Christiani nec Catholici (quum utrumq; egregié simulent) sed politici sunt. Politicorum & nomine gaudent, & factis exultant, & virtutem profitentur. Politici & civiles homines, elegantes & suaves, prudentes & cordati, ipsam sacrosãctæ religionis causam, politicé & civiliter tractari volunt, aliorum rusticam simplicitatem ir-

ident , qui ad quemvis
alsæ doctrinæ sonum, ad
quemlibet violatæ reli-
gionis motũ, zelo statim
xardescunt, & viis omni
bus ac modis integrita-
em fidei illæsam & illi-
batam conservare, con-
endunt. Contrà enim Po
itici isti, multa esse tem- 1.
pori concedenda, multa
esse pro tempore dissimu
anda; publicæ pacis cau- 2.
am ante oculos semper
habendam, non esse irri-
tandos crabrones; hære- 3.
ses istas vel debellari non
posse, quia potentes; vel
ex animis hominum e- 4.
velli non posse, quia perti
naces hæretici sunt; vel
tantis conatibus impu- 5.
gnari nõ esse necesse, quia
de rebus leviculis conten
ditur; vel postremo tanti
illas non esse, nec tantum

univerſum religionis cu-
ram nobis incumbere, ut
pacem publicam, commu-
neſq; fortunas, vel ad illas
reprimendas, vel ad hanc
conſervandam, periclitari
ſinamus. Quinimó pruden
tis ac politici viri eſſe, pa-
7. triæ & civium ſuorum cō-
modis ante omnia proſpi-
cere, ſuis rebus conſulere;
8. Principum placitis ſeſe ac-
commodare, invidias aut
9. ſimultates ſuperfluas reli-
gionis cauſa non ſubire: il-
10. lam curam vel ſolis Cleri-
cis ac Monachis, vel etiam
11. ipſi Deo relinquere, qui ſu-
as injurias ſi quas per no-
va hæc dogmata accepe-
rit, ipſemet ulciſci ac vin-
12. dicare, valeat. In ſumma,
id agendum, ne quid res
13. vel publica vel privata,
detrimenti capiat; ſuam ſi-
bi cu-

bi cujusq; conscientiam, absq; istis certaminibus sanam ac salvam, esse posse. Habetis Politicorum hodie hominum voces, principia, axiomata, quibus illi confisi, Religionis causam negligenter tractant, laborantis. Ecclesiæ patrociniū turpiter deserunt, fidem Catholicam hostibus nefarié produnt, & penitus profligandam, relinquunt.

Quæritur jam an huiusmodi homines in numero Christianorū habēdi sunt? Sed quid ego hic quæro? aut rem per se clarissimam cur in quæstionem voco; Jam enim mecū quotquot Christiani hic estis, quotquot Christum Redemptorem nostrum non verbo tantum confitemini ad justitiam, sed & corde credi-

tis ad salutem, hos homines non Christiano tantum gloriosissimo nomine non censendos, sed nec ulla prorsus in Deum aut Deos religione teneri, prorsus judicatis. Ita sane arbitror, nec aliter affectos esse veré Christianos arbitrari possum. Cæterū tamen ut hoc judicium vestrum ac nostrum quám certa ratione nitatur, clarius fiat; ut hoc hominū genus quám sit præ omnibus quos nunc terra sustinet execrabile, certius innotescat; ut ab hujusmodi hominum blandis sed impiis vocibus atq; consiliis, tanquam á Sirenum cantibus maturé quisq; sibi caveat; ac demum ut ipsi tales politici (si ad eorum forte aures hæc no-

ſtra aliquando perveniat
oratio) ad meliorem ac ſa-
niorem mentem reducan-
tur : hæc tria hoc loco ac
tempore, de noſtri tempo-
ris politicis quales ſuprà
deſcripſimus, inquiremus. Diſtribu-
Primum an Chriſtiani no- tio
minis vim ac rationem ul- 1.
lo ſenſu tenere poſſint. Se- 2.
cundo quales & quantæ
ſunt Reipub. Chriſtianæ
peſtes, & religionis hoſtes,
ideoq; ab omnibus execrã-
di etiam eorum judicio, qui
falſam religionem tenue-
runt. Tertio ac poſtremò, 3.
quibus demum Technis
ac fucis (non enim argu-
menta dicam) ſuam extre-
mam impietatem probabi
lem reddere contendunt.
Quæ tria dum facio, vos
quæſo Auditores humaniſ-
ſimi, diligenter quod faci-
tis, attendite.

Non est hic opus præfari, politicos á nobis aut politiam in uniuersũ non reprehendi, vel ab omni politia & civili prudentia Christianam religionem alienam esse, velle nos dicere. Jam enim politicos nostros tales descripsimus, non qui rei privatæ aut publicæ curã gerunt(quod & optimi Christiani faciunt)sed qui rei privatæ ac publicæ curam, religioni anteponunt,adeoq; religionem ipsam nullo loco ducunt, adq; hinc tam perspicuæ impietati politiæ, & prudentiæ civilis, honestissimam vestem imponunt, ut politici dicantur qui athei sunt; ut civiles videantur,qui civitates & totas respublicas sua præpostera civilitate perdunt,

ut prudentes & elegantes habeantur, quibus nihil eſt ſtultius, nihil incivilius: niſi fortê aut prudens ille habendus ſit, qui ut ſuis fortunis parcat, omnium ſuorum & fortunas & ſalutem perdit, aut ille civilis & elegans videri debeat, qui ſuaviter canens & amicé blandiens ſuos ad patibulum aut præcipitiũ ducit. Sed nunc ad ſingula á nobis propoſita, veniamus.

Dicimus primo loco huiusmodi politicum qui Religionis cauſam atq; defenſionem, ſuis fortunis aut commodis, vel etiam Reipub. paci & incolumitati poſtponit, imó qui eam omnibus rebus non anteponit, Chriſtiani hominis loco habendum non eſſe.

Propoſitio.

1. Quid enim quæſo hominem Chriſtianum ab ethnico diſcernit? niſi nominis Chriſti fides, cultus, religio. In quo enim nulla eſt Chriſtiani nominis religio cultus, reverentia, amor, hunc religionis Chriſtianæ nomine ab aliis non Chriſtianis diſcerni quiſquam exiſtimabit? At quæ eſt tandem in illo homine Chriſtiani nominis religio quis cultus, qui amor, quæ reverentia; qui adeo illud non colit, non amat, non reveretur, ut res quaſlibet ei anteponat, ut ad ejus defenſionem, nec pedem movere, nec oboli diſcrimen ſubire, nec vel vultum, aut verbum aſperum, ſuſtinere velit; ut eam deniq; nullo loco ducat, totamq; ejus curam vel in Dei providentiam

dentiam, vel in ſolos toga-
tos homines, ſi tamen & in
illos rejiciendam judicat? a.
Mali ſané Chriſtiani & pec
catores, qui vitam turpiter
ac flagitioſé ducunt, hoc
certé Chriſtiano nomine
indigni ſunt, & ad illos
Chriſtus dicturus eſt, *neſcio
vos*. Cæterum tamen, iſti
non niſi practicam adhuc
virtutis cognitionem ami-
ſerunt, & fide ac religione
imbuti quod verbo tenēt,
factis negant. Atqui Poli-
tici iſti non practica tan-
tum, ſed & ſpeculativa
virtutis cognitione excide
runt. Non ſolum religio-
nis uſum & praxim male
vivendo, ſed & ipſam in ſe
religionē malé ſentiendo,
abjecerunt. Nullā enim ille
religionem tenet, qui nihil
ad

ad se attinere religionem putat. Quare de illorum numero sunt: de quibus Propheta Regius ait. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Et videte obsecro an non ita se res habeat. Magno cum applausu vox illa apud Comicum excepta est. *Homo sum, humani nihil á me alienum puto.* Si ergo homo non est, qui humani aliquid á se alienum putat; si homo non est, qui reliquorum omnium hominum velut quidā μισάνθρωπος curā & affectionem animo omnem deposuit; si homo non est, qui humanitatem exuit; qui tandem obsecro Christianus erit, qui religionem Christianam (unde proprie Christiani sumus) nihil ad se pertinere, stetur, cadatur,

existi-

existimat, qui omnem religionis curam, animo ejecit suo, ideoq; & omnem Christianitatem exuit: *Dixerat zeno stoicus, iram non esse in Deo, ut puniat malefacta, veluti indignam Deo paßionem. Aßumpsit Epicurus. Si ira in Deo non est, nec gratia etiam aut beneficentia ulla, atq; ita nec mala puniens, nec benefacta remunerans, rerum humanarum curam non habet, sed seipso solo, beatus est. Ex hac Stoicorum propositione & Epicuri assumptione, conclusit Diagoras & Theodorus Cyrenæus: Ergo non est Deus: Si enim nullo affectu movetur, quod intelligibili naturæ est proprium, prorsus non est.* Hæc apud Lactantium illi. An non veró & eadem inductio, nostros quoq; Politicos concludit Athe-

4. *Lanctantius in libro de ira Dei.*

os. Ajunt illi, Zelus iste & fervor religionis hominē civilem ac politicum non decet. Sublato zelo quem vel in paucos rejiciunt, vel ab omnibus animo deponi volunt, cura omnis & affectio religionis tollitur. Concludit ergo apud se Politicus. Zelus religionis, furor & amentia est. Cura ejus & affectio, inane quid & superfluum est. Nihil ergo est hoc totū quod religio vocatur. *Magisq; ad morem, quam ad rem pertinere judicanda est; & illam sapiens servat tanquam legibus jussam, non tanquam Deo gratam;* sicut olim Seneca, virtutis moralis cultor egregius, sed Senator in hac parte politicus, de Romanorum religione quam in templo cum aliis colebat, sed ani-

Apud Aug. de Civit. Dei li. 6. ca. 10

mo

mo contemnebat, dixit. Pari ergo Reipub. (ajunt isti) præsentibus commodis & emolumentis prospiciendum est: valeat religionis causa, quantum valere potest. Sive recté sive secus ea colatur, quid ad nos? Imó (ut Scævola Pontifex olim ajebat) *expedit falli in religione civitates, quia non nisi ad homines in metu quodam & officio continendos, illam introductam esse, judicandum est.* Tales suo tempore in Romana Repub. Politicos describit Augustinus, qui ne Christianæ religionis sanctissimo jugo subderentur, & ut suis cupiditatibus laxas habenas darent, ad omnem religionis contemptum & Atheismum adducti fuerunt.

ubi suprà li. 4. c. 27.

Hæ

August. de Civit. Dei lib. 2, cap. 20.

Hæ enim erant eorum voces: *Tantum stet* (inquiũt) *tantum floreat copiis referta, victoriis gloriosa, vel quod est fælicius, pace secura sit Respub. Et quid ad nos? Imo ad nos magis pertinet si divitias quisq; semper augeat, quæ quotidianis effusionibus suppetant. Populi plaudant non consultoribus utilitatum suarum sed largitoribus voluptatum. Non jubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quam bonis, sed quam subditis imperent. Quid alienæ vite potius, quam quid suæ quisq; noceat vitæ, legibus advertatur. Nullus ducatur ad Judices, nisi qui alienæ rei, domui, saluti, vel cuiquam invito, fuerit importunus aut noxius. Cæterum de suis vel cum suis, vel cum quibuscumq; volentibus, faciat quisq; quod vult. O pi-*

para convivia frequententur, ubi cuiq; libuerit & potuerit, die noctuq; ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Et ille sit publicus inimicus, cui hæc fælicitas displicet. Illi habeantur Dij veri (illorum sic vera religio) *qui hanc adipiscendam populis procuraverunt, adeptamq; servaverunt. Colantur ut voluerint, ludos exposcant quales voluerint. Tantum efficant, ut hinc fælicitati nihil ab hoste, nihil á peste, nihil ab ulla clade, timeatur.* Hæc illi apud Agustinũ. Hic est veterum Politicorum Atheismus, nostro nunc tempore, non secus quam veterum hæresum cataclysmus ab orco revocatus. *Colantur dii ut voluerint*, aiebant illi. Obtineat religio quæ potest, aiunt isti. *Illi habeantur* Dii

Politicorum hodie voces veterum pa-

ganorum vocibus conformes

veri, qui fælicitatem temporalem procurant, ajebant illi. Illa habeatur vera religio, in qua fæliciter & affluenter vivamus, ajunt isti. *Non curent Reges quam bonis, sed quam subditis imperent*, ajebant illi. Non curent Reges Christiani, quam bene Christianos, sed quam obedientes, habent subditos, ajunt isti. *Quid alienæ vitæ potius quam quid suæ quisq; noceat, legibus adversatur*, ajebant illi. Quid pacem publicam lædat, non quo conscientia aut religione læsa quisq; sibi noceat, leges dispiciant, ajũt isti. *Ille demum sit publicus inimicus, cui hæc fælicitas displicet*, ajebant illi. In illum demum vel arma publica, vel justitiæ, gladius concitetur, qui Rei-

pub.

fælicitatem temporalem perturbat, ajunt isti. Sicut illos olim perditissimus homines, ita nostros hodie politicos, vitę licensiosæ libido, ad religionis neglectum, neglectus ad contemptum, contemptus ad Atheismum, perduxit.

Sed de his hominibus, nostrisq; demum politicis, quæ est tandem S. Augustini sententia? *Quis* (inquit) *hanc Rempub. sanus non dicam, Romano imperio, sed domui Sardanapali, comparaverit? qui quondam Rex ita fuit voluptatibus deditus, ut in sepulchro suo sibi scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido eius etiam cum viveret, hauriendo consumpserat. Quem Regem, isti si haberent sibi in talibus indulgentem, nec in eis,*

Augustini de politicis sententia.

Ibidem.

cuiquam ulla severitate adversantem, huic libentius quam Romani veteres, Romulo templum & flamines, consecrarent, Hæc ille, Et quis ignorat Politicos hodie nostros Sardanapalo potius alicui, & voluptario principi, quiq; ut omnem excipi, quiq; ut omnem exercet, sic nullam in suis libidinem compescat (ut hodie in Anglia Elisabetha, nuperrimeque in Frãcia Henricus Valesius) libentius servire, quám veré Christiano atq; Catholico Regi, Religionis vindici, justitiæ assertori, & priscæ virtutis rigido cultori, obtemperare? Et hæc quidem illorum est non solum á vera, sed & ab omni Religione aliena, sententia.

At audi o Politice Christiano,

ſtianorum hominum voces, & vide an Chriſtianornm in numero haberi debeas. *Ego ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eßem,* ait vas electionis. Gal. 1. *Oportet Deo magis obedire quã hominibus,* ait Princeps Apoſtolorum. Act. 5. *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & poſtea non habent quod agant,* ait Apoſtolorum magiſter, Luc. 12. Princeps Paſtorum, Chriſtus ipſe. O voces Politicis noſtris execrabiles: qui non niſi hominibus placent, neglecto Chriſto; non niſi hominibus obediunt, cõtempto Deo; non niſi homines timent, timore Dei abiecto: qui ut hominibus placeant, ut Ieſabeli obediant, ut malis Principibus ſe accommo-

Laert. in Aristippo.

Joan. 13.

dent atque conforment, veluti *canes* Regij (sicuti Aristippum insignem Politicum vocavit Diogenes) ut uxorem, liberos, familiam, ad momentum temporis incolumes conservent; religionem, fidem, cultumque Dei universum & despectui habent ipsi & pessum ire penitusque profligari, permittunt. *Ex Principibus multi crediderunt in Christum* (ait D. Joannes) *sed propter Pharisæos, non confitebantur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei,* Tales hodie Principes nostri politici sunt; qui ut in Repub. principatum vel obtineant vel conservent, religionem quam corde credunt, ore confiteri erubescũt. Sed o homines

hominēs nihil minus quā Chriſtianos, qui nec Apoſtolorum Chriſti, nec ipſius Chriſti voces ſanctiſſimas ſuſtinent, ſed ōni quo poſſunt conatu illis cōtradicunt. An nō vero Chriſto per omnia nō contradicunt; Videte ergo quod modis id faciunt. Dicit Chriſtus. *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei:* Cōtradicūt iſti Demus oīa Cæſari, omnia Principibus, omnia præſentiū rerum oportunitati. Deo nihil demus; ſed ſi quæ ſunt Dei ipſi Deo curanda relinquamus. Dei cultū, Dei religionem, curent alijqui volūt. Nihil ea ad nos pertinent, Dicit Chriſtus. *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia* (quæ ad cibum & veſtitum ad victū & amictum pertinent)

Politici Chriſto contradicunt. Matt. 22.

Matth. 5.

adiicientur vobis. Contradicunt isti. Primum & ante omnia corporis, familie, civitatis, ac Reipub. nostræ, curam agamus. Ad regnum Dei quod attinet, quærant alij. Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum. Nec primó nec postremó regnum Dei quæremus, nisi primum & ante omnia de pace, de incolumitate, de florenti Reipub. statu, nobis constet. Iterum dicit
Joan. 14 Christus. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Pacem cum Deo, pacem in Deo, pacem in conscientia bona, pacem cum proximo, ego relinquo vobis. Non mundi pacem, non Vitæ præsentis gaudia, non rerum terrena-

renarum effluentiam, ego do vobis; nisi quatenus illa omnia cum altera mea pace vobis relicta, conveniunt. Contradicunt isti. Nos mundi pacem quærimus, pacem in substantiis nostris, pacem in Repub. pacem in fortunæ bonis, in rerum omnium affluentia, in quiete, & copia domestica. Ad pacē Christi quod attinet, ea demum tunc in considerationem veniet, quando cætera omnia in tuto erunt. Rursū dicit Christus. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus Patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus soerum suam: & inimici hominis do-* Matth. 10.

mestici eius, id est, Non sic veni, non sic Euangelium salutis æternæ vobis adfero, non sic ad nominis mei professionẽ vos voco, ut in alta rerum temporalium pace, in perpetuo & suavi vestrorum confictui, hoc tantum beneficium conservari semper à vobis & retineri possit. Tempora enim erunt, in quibus ad hoc beneficium conservandum, pace hac & fruitione temporali carere debeatis: & ita carere, ut propter nomen meum, illa omnia despiciatis. Quare sic statim Redemptor noster prosequitur. *Qui amat Patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*, & alia quæ sequuntur. His veró Christi verbis fortissimé cõtradicunt

cunt omnes noſtri tem-
poris Politici. Nolumus
(aiunt) á noſtris parenti-
bus aut pignoribus reli-
gionis cauſa, ſeparari No-
lumus fortunarū aut re-
rum noſtrarum diſcrimen
ad conſervandam religi-
onem adire. Pacem vo-
lumus non gladium. Pa-
cem in civitate, pacem in
Reipub. pacem in ſubſtan-
tiis noſtris, quicquit de
Chriſti nomine, cultu, re-
ligione, fiat. Qui tot mo-
dis, tam aperté, tam flagi-
tiosé Chriſto contradi-
cunt; tamenve in Chriſti-
anorum numero habendi
erunt; tamenve Chriſti-
ani homines á quoquam
vocari poſſunt; A nemi-
ne arbitror, qui ipſe Chri-
ſtianus non eſt. Sed cæ-
tera videamus.

In Euangelio filij huius seculi nõne filiis lucis manifeste à Christo Domino opponuntur? Prudentiores (inquit) *sunt filij huius seculi in generatione sua, quàm filij lucis*. At qui tandem filij seculi sunt, si nostrorum temporum Neopolitici non sunt: qui seculo huic per omnia conformantur, qui tempori serviunt, qui in secularibus desideriis toti occupantur, qui huius seculi bona, fortunas, pacem, eo animi impetu, eo studio consectantur, conquirunt, ambiunt; ut quod filio lucis proprium & intrinsecum est, Religionem & cultum veri Dei penitus negligant? Rursum qui sunt filij lucis nisi soli Christiani? Audi apostolum. *Eratis tenebræ, nunc autem*

Luc. 16.

Ephes. 5.

autem lux in Domino: *ut filij lucis ambulate.* Audi Euangelistam. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderant,* id est Christum veram lucem filij huius seculi non receperunt. Audi denique Christum ipsum. Ego *lux in mundum veni. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Soli ergo filij lucis, Christiani sunt. Politici igitur, non filij lucis, sed filij huius seculi, Christiani non sunt. An filius lucis esse potest, qui per omnia, luci contradicit? Christianus erit, qui Christi religionem non tenet? Aut tenere ille putandus est, qui qualibet occasione eam dimittit? nec maritus

Joan. 1.

Joan. 8.

Politici non Christiani.

dicendus est, qui quo libet cõjugij incommodo motus, á conjuge divortium quærit; nec civis babendus. qui in quovis civitatis discrimine societatis civilis fædus abrumpit, & defensioni se subtrahit, nec Christianus existimandus, qui periclitantẽ aliquãdo religionẽ penitus deserit.

Matt, 22. In illa parabola *de invitatis ad nuptias filij* Dei, id est de vocatis ad fidem mediatoris, ad provessionem nominis Christiani, cum alij venire recusarẽt, alij, missos ad se fidei prædicatores contumeliis affectos, occiderunt, inter discumbentes in nuptiis, inventus est unus, *non habens vestem nuptialem*. Hic unus qualis tandem erat; Nõne ad nuptias filij Dei

vocatus venit; veniens discubuit, discumbens amicum se sponsi, hoc est, Christianũ professus est; Sed an propter hæc õnia, pro amico sponsi habitus fuit? Non habuit vestem nuptialem, Charitatẽ Dei, amorem, curam, Zelum religionis nullum, habuit. Non amore sponsi, sed ut de convivio nuptiali gustaret, discubuit. Non ex amore Christi, Christianũ se & Catholicam professus est; sed quia utile tunc illi atq; honorificum fuit. Hodie politici in Belgio Catholici, in Gallia fœderati, in Anglia scismatici sunt, quia ad honores, ad dignitates, ad augendam rem familiarem aditus in Belgio non patet nisi Catholicis; in poten-

tissimis Galilæ civitatibus nisi sacri fœderis sociis; in Anglia nisi schisma factũ complectentibus. Haud secus quam olim Samaritæ hi faciunt: qui ut refert Josephus, *hoc ingenio erant ut in rebus Judæorum afflictis negarent se cognatos, veritatem tunc dicendo: cum verò affulgere eis fortunam viderent, confestim in societatem irruebant*: Quod eo maximè tempore faciebant, quo Alexandrum magnũ Judæis favere, magnaque illis priuilegia concedere, animadverterent. Tales hodie nostri Politici sunt, Catholicorum partes quũ illis est commodum, tuentur: quum incommodum aut minus commodum, vel deserunt, vel etiam cum aliis, impugnãt.

Politici Samaritani.

Antiquit. lib. 11. c 8.

Teles

Tales diſcubuerũt ſine veſte nuptitali. Sed quid ad hæc ſponſus; *Amice* (inquit) *quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Amicum vocat, ut illum ſuum proditorem Iudam alio in loco. *Amice ad quid veniſti? Quomodo huc intraſti?* Qua fronte, quo vultu, qua audacia, in nuptiis meis diſcubuiſti? Incarnationi filij Dei nomen tuum dediſti, Chriſtianum te profiteris, non habens veſtem nuptialem: De hoc Mediatoris tui beneficio, de Chriſtiani nominis profeſſione, de religione Chriſtiana nihil curæ, nihil pēſi habens: Chriſtianum te audes dicere, & Chriſtiana religio ſtetur, cadatur, ſuſq; deq; accipis? Diſcumbis in Eccleſia mea. ſedes,

Matt. 22.

Matt. 26.

ſedes ad menſam meam, accedis ad ſacramenta mea, & Eccleſię meæ pacem paſſim violari, menſæ meæ ſacrificia tot locis pollui, ſacramenta mea á tam multis abrogari, tu æquo animo pateris, tu nihil ad te petinere exiſtimas, tu tua nihil intereſſe, arbitraris. Ergo nec Dei metus, nec fraterna charitas, nec pietatis ſtudium, nec tot tecum diſcumbentium tam veneranda ſocietas, tot Martyrum certamina, tot Confeſſorum exempla, tot Virginum merita, tot Patrum dogmata nihil te horum ora vultuſq; moverunt? Omnes quippe iſti ne Politici fierent, fidei & nominis profeſſionem in quibuſcumq; temporum procellis,

cellis, fortissimé tenuerunt. Qui si Politicos agere voluissent, tuæque impudentiæ socij esse, nec uno anno mea stetisset Ecclesia. *Quomodo ergo huc intrasti, & convivam te provideri ausus es, non habens vestem nuptialem?* Ad hanc tam acerbam & justam Sponsi reprehensionem, quid respondet politicus & Larvatus meus Chrtstianus? Dicit Euangelium. *Ille autem obmutuit.* In tam flagranti crimine deprehenduntur á Christo Politici isti, ut nullam defensionis speciem manifestum flagitium admittat. Quare e vestigio pronunciatur sententia. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores? Ibi erit fletus*

&

& stridor dentium. Videte obsecro & attendite Auditores. Nec infideli, qui ad nuptias filij Dei venire noluit, nec mundi huius amatoribus qui vocati eunt post hoc seculum, alius in villam, alius in negociationem suam, nec ipsis Christianorum persecutoribus, quicquam tale Deus comminatur. Soli simulato & larvato Christiano, quales maximé sunt horum temporum politici, horrenda hæc & que verbis explicari nequit, pæna infligitur.

Politicorum pœna gravissima.

Est quippe Neopoliticus iste & hæretico, & Turca, deterior. Turca nec Christianis se amicũ dicit, nec Catholicis. Hæreticus Christianis se favere dicit, sed non Catholicis. Isti

Politicus hæretico aut Turca deterior.

Isti Neopolitici tum Christiani, tũ Catholici, quàm qui sunt maximé videri volunt, quum neutrũ sint. Illis ergo sempiternas plagas speciali quadam ratione (quam hoc loco explicare prolixum esset) divina prædixit sententia. His adde quod dicente Christo. *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, spargit*; non alío loco Politicum, qui cum Christo non est, nec cum Ecclesia stat, quám hæreticũ qui odit & persequitur Ecclesiam, habere debes. Aeque non est Christianus contemptor religionis, quam hostis.

Vide Prompt. n. Morale Domin. 12. Post pent. tex. 9. Matt. 12.

Sed ut Neopolitici quã nihil minus sint quam Christiani magis adhuc & magis elucescat, eorum majores

Politicorum majores.

majores & nobiles antecessores in hoc prudentiæ ac Politiæ genere qui fuerint, annotabimus. Si enim nisi omnium maximé scelere & maleficio insignes huiusmodi olim Politici fuerunt, quid de his nostris judicandum sit, in promptu est.

Jeroboā.

Jeroboam ille qui decē tribubus veteris populi propter peccata Salomonis á Deo præpositus & Rex constitutus, magnus in hoc genere politicus fuit; qui ut Regnum suum sibi confirmaret, duos erexit vitulos in duobus excelsis montibus, quos populus adoraret, ne Hierosolymā ascendentes ut vera Religio præscripserat, ad Roboam Regem Juda redirent, Sic Politicus ille, Regni sui

3. Reg. 12.

statum

ſtatum Religioni antepo-nens totū penè illum po-pulū ad idololatriam per-traxit. Achaz Rex Judæ, videns ſe à Syris devictū, quum id peccatis ſuis im-putare deberet, & ad Dei auxilium confugere, poli-ticè agere maluit, dicens. *Dij Regum Syræ opitulantur eis; quos ego placabo hoſtiis & aderunt mihi.* Sic iſte Politicus, Deum ſuum & Religionem ſuam, utilita-te metiebatur. Eos elegit Deos, quos ſibi utiliores fore arbitrabatur; ſicuti il-lā hodie religionē tenent Politici, quæ vel maxime utilis vel minime dānoſa, videtur. Sed & totus ille Judæorum populus, qui in Aegyptum fugerat cap-ta. Hyeroſolima, à Re-ge Aſſyrorum politicè a-gere

Achaz idololatra.

2. Par. 28.

Judæi Idololatræ agere maluit, sacrificans idolis, quàm Jeremiæ verba audire, ut veri Dei cultum retinerent. Aiebāt enī Jeremię. *Facientes faciemus ut sacrificemus Reginæ cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & Patres nostri, & saturati sumus panibus & bene nobis erat, malumq; non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessavimus sacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus.* Isti quoq; suam religionem, ex rerum præsentium affluentia, metiri voluerunt, quod hodie Politici faciunt; eam ob causam Catholicę Ecclesiæ defensionem deserentes, & cuiuslibet hæresis liberum exercitium vel dissimulantes vel admittentes

Jere. 44.

tentes, quia ex eo tempore quo Hæreticos divexare cæperunt, magna suarum rerum detrimenta, jacturas graves, acceperunt. Sed maximé insignis & nobilis Politicus, Achab ille impius Rex Israel fuit; qui Patrum suorum religione penitus abjecta, quum solus tūc aut certe potissimum Elias Propheta eam zelaret, & ita zelaret ut in pœnam perfidi Regis, illi in os diceret; *nec rorem nec pluviam aliquot annis futuram, nisi juxta oris sui verba*; post triennii siccitatē, occurrens tandē Eliæ Prophetæ, ait illi, *Tu ne es ille qui conturbas Israel?* Videte Politici vocem. Turbant Rempub. ipsius judicio, qui Zelo religionis tacti, Dei causam fortiter agunt. Sed quid ad hæc Elias? Non ego (inquit)

Achas impius.

3. Reg. 27.

turbavi Israel, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & sequuti estis Baalim. Neopolitici sunt, desertores religionis sunt, qui turbant Israel; qui turbant imó perdunt Rempub. Christianam. Verus Israelita erat Elias. Impius politicus erat Achab, qui ut uxori Jesabel morē gereret; veram Dei Religionem cōtempsit. Sic veri Christiani, sunt Zelatores fidei & Religionis Christianæ. Impij politici eam despectui habent, ut suis cupiditatibus morem gerant. Sed alios adhuc videamus nostrorum Politicorum Patres, præceptores, antecessores, quos sibi imitandos pro sua prudentia politica delegerunt.

Pharisæi. Pharisæi, Christi famam & prædicationem politicé impedire

pedire volebant, dicentes: *Hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentē.* Joan. 12.
Sic in Anglia conversio hæreticorum, confirmatio Catholicorum, Reconciliatio scismaticorum, quam sacerdotes ex seminariis Romano & Remensi eo missi, quotidie operantur, á politicis illic Senatoribus sūmo studio impeditur, ideoque non unum (& si propter unum) sed multos pios ac doctos sacerdotes pati faciunt pro populo, extremoque supplicio afficiunt, Ne (inquiunt) *tota gens pereat*: ne omnes fiant Papistæ, & veniat Papa, aut veniant Hispani, & tollant locum nostrum &

gentem, id est, tollant hæreticos & universum Calvinismum. Quid veró? Judas ille proditor, Nonne unus ex nostris politicis erat, quũ viso unguento præcioso in Christi caput effuso, clamavit furcifer: *ut quid perditio hæc? Venundari istud poterat & dari pauperibus. Quæ ille ut latro, dixit,* (ait S. Joannes) *quia loculos gerebat, non quod ad eum de pauperibus pertineret,* Sic hodie Politici, omnes sumptus in bello sacro ad Religionis Catholicæ defensionem factos, Regisq; nostri potentissimi & pientissimi Philippi 2. (quem honoris causa nomino) Hispaniarum & utriusq; Indiæ Monarchæ, arma in hæreticos conversa, thesauros amplissimos, largissima manu in eum finem effusos, Perditio-

Judas proditor.

Matth. 26

Joan. 12.

tionem vocant. ut *quid* (inquiunt) *perditio hæc?* vel ad ſua in Belgio recuperanda, vel ad Turcam perdomandum, vel ad Imperii fines propagandos, tam immenſi ſumptus converti poterant. Ita non ſecus iſti perire exiſtimant, quicquid in corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, confertur, nec ad ipſorum vertitur commodum aut honorem, quám totum perire exiſtimavit Judas, quod in Chriſti perſonam conferebatur, nec ad ejus loculos quos portabat, delatum eſt. Sed nec tales deſunt Politici, qui ad præſentes hæreſes animo non affecti, ut luculentum tamen emungant lucrum, cauſam Catholicam produnt, in acie hæreticorũ ſtant, & vendunt iterum Chriſtum, ſicut idem Judas

 Pha-

Pharisæorum malitiæ sub-
serviens, non quod illos
diligebat, sed quod ad offã
pinguem inhiabat. Dixit
ad illos. *Quid vultis mihi da-*
re, & ego tradam eum vobis?
Matt. 26. *Et constituerunt illi triginta*
argenteos. Bonus sané Poli-
ticorum nostrorum Pater,
præclarus antecessor, qui
multos nunc in Gallia (proh
pudor, proh dolor) imita-
Pilatus. tores habet. Sed & Pilatus
nonne ut Politicus Christũ
damnavit, & *voluntati Judæ-*
Luc. 23. *orum tradidit?* illo videlicet
clamore territus & percul-
Joan. 19. sus, *Si hunc dimittis, non es*
amicus Cæsaris. Dolens dico
sed dicendum est, Causam
Catholicam á Principi-
bus nostris ut videbantur
Catholicis, sed veré Politi-
cis, in primis regnantis E-
lisabethæ omnium Regni
ordi-

ordinum comitijs proditã vidimus: qui ne non essent amici Cæsaris, amici suæ, Principis, Catholicæ Religionis abolitionem, infami & nefando exemplo decreverunt. Alij in eisdem comitijs venalia suffragia habebãt; Et sicut reprobus ille Esau, *pro uno pulmento, primogenita sua vendebat*, pro uno præsenti lucello, & ut suis placerent Principibus, Religionem hæreditariam, quæ & Regni cælestis hæredes eos constitueret, toto regno Anglicano expulerunt. Deniq; Julianus ille insignis apostata, non quum imperium adeptus est, tum primum apostata fuit; sed adhuc vivente Constantio Patruo suo, cujus imperium formidabat, & per quem ad imperium aspira

Esau. Gen. 25.

Julianus apostata.

Am. Marcell: Socrates lib. 3. cap. 1.

aſpirabat, verus apoſtata fuit ſed politicus, Chriſtianam religionem adeo ſimulans, quia Chriſtianus erat Conſtantius, ut & vitę monaſticæ ſtudium præ ſe tulerit, & in ordinem clericorum ſe aſcribi paſſus fuerit. Iſti ſunt politicorum noſtrorum præclari parentes, ſplēdidi majores, anteceſſores ampliſſimi. Jeroboam, Achab, & Achaz reges impij, vetus populus idololatria, Phariſæi Chriſtum perſequentes, Judas proditor, reprobus Eſau, Pilatus perdiſſimus Judex, Julianus apoſtata. Si verę Religionis cultores iſti erant, Chriſtiani quoq; ſunt Politici noſtri. Sin nulla horum hominum religio fuit, ſed atheiſmus quidam Politicus; nec noſtrorum hodie politicorum

ulla religio est, nedũ Christiana. Quorum enim fœdissima facta imitantur, in eorũ ordine consistere, numero ac loco, censeri debẽt.

Et ut summatim multa complectar, isti sunt *arundines vento agitatæ*, qui ad omnem se religionem conformant, quia nullam Religionem admodum ad rem pertinere, judicant. Isti *scandalizantur in Christo*, eiusque sanctissima religione, ut quæ eorum cupiditatibus contradicat. Istis Christus *factus est in ruinam & in petram scandali*; prorsusq; & *cũ gentibus stultitia, & cum Judeis, scandalum*, Crux Christi illis est; omnisq; pro Christo ferenda adversitas; voluntque (quod proprium terrenæ civitatis quæ civitati Dei opponitur esse docet Augusti.) Matt. 11. Luc. 2. 1. Cor. 1.

De Civit. Dei lib. 15. cap 7.

uti Deo & frui mundo; uti ad suum commodum religione; frui & conquiescere in bonis terrenis. Sed & horum Politicorum impietatem, quám sit ab omni religione alienissima, luculenter demonstrat Imperatoris Heliogabali Romani, Sardanapali, infame exemplum. Nam ut ille homo flagitiosissimus atq; spurcissimus, religionem eo loco habebat, *ut nullum quidem Romæ Deum, nisi Heliogabalum coli pateretur, sed ita, ut in suum templum præter omnium aliorum Deorum, etiam Judæorum & Samaritanorum religiones, atq; adeo Christianam devotionem transferri voluerit, ut omnium culturarum secretum, Heliogabali sacerdotium teneret*: sic plané nostri temporis Politici, omnes religiones

AElius Lampridius, in Antonino Heliogabalo.

ac sectas, Lutheranorum, Calvinistarum, Puritanorum, atq; adeo Catholicam devotionem tolerandas & recipiendas, atq; á Regibus permittendas arbitrantur, dummodo pax Regni tuta sit; ut omnium culturarum mijsteria Politicorum idolū teneat; nec ullum errorem respuāt, qui nullam veritatē curant: & (ut de Roma ethnica schribit S. Leo) *hac in re magnā sibi videantur assūpsisse religionem, quia nullam respuunt falsitatem.* Quo in genere laudat Politicus Bodinus varios Imperatores, qui ipsi Catholici quum essent, hæreticis tamē liberos conventus concesserūt. Sed ut multa mentitur, de Constante videlicet, & Theodosio magno, & Valentiniano majore, qui Arianis

Serm. 1. in Nat. Apost. Pet. & Pauli.

De Repu. lib. 1. cap. 7.

liberatis aliud nunquam concesserunt; sic quod de Valente Imperatore Ariano & de Anastasio Entijchiano profert, quorum ille á Gothis in bello victus, in tugurio cum suis concrematus est, hic igne de cœlo tactus fuit, nihil ad rem facit: nisi forte, quorũ exitus tam horrendas & infames hæreses omnes Principes merito exhorrescunt, eorum impia facta Christianos Principes, imitari vellet. Et quod idem Anastasius Concionatores verbi fortes & pro veritate constantes in exilium religasse, á Bodino dicitur, hoc in eius summum vituperium & detestandam ignaviam atq; irreligionẽ notandam, qui præpostero pacis studio, nullum cujuscumq; religionis

Ammian. Marcell. histor lib. 31. Paul. diac. hist. lib. 15.

Evang. lib. 3. cap. 13. Niceph. lib. 16. cap. 26.

nis Zelatorē tolerare, voluit, ab historicis Ecclesiasticis commemoratur; non in exemplum bonis Principibus proponitur, ut Catholici quum sint, Concionatores Catholicos Dei causam fortiter agentes, ipsi similiter in exilium pellant, ut magnus ille nugator Bodinus, inferre voluit. Certe illud Anastasij fædum facinus, sicut & proximi eius antecessoris Zenonis edictū ἑνωτικον seu pacificatorium (quod etiam citat Bodinus) *totum Orientem perdidit*, teste Evagrio, *innumerisq; hæresibus replevit*. Valens quoque Arianus, quum omnibus sectis libertatem daret, & solis Catholicis negaret, id effecit, *ut cultus idololatricus, paßim invalesceret*, ut scribit Theodore- ut suprà.

doretus. Tanto cum judicio sua exempla profert, suosq; Authores citat Bodinus, & Politicum agens hostem se Christianitatis prodit.

Histo. Ecclef. lib. 5, cap, 20.

Sed ut ad Politicorum nostrorũ majores redeamus Politici erant amici illi Tobię justi, qui sic ei loquebãtur: *Jam hujus rei causa interfici jussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quam Regem, rapiebat corpora occisorum fratrũ suorum, & sepeliebat ea.* Politici erant, qui Eleazaro seni suadebant ut carnes lege vetitas manducare se simularet, sicq; vitæ suæ & fortunis consuleret: quod ille recusans facere, pro Religione Patrum suorum mortem oppetere maluit. Politici erant, qui S. Sabam mar-

Tob. 2.

2. Mac. 6

In vita ejus apud Surium. 12. Apri.

martyrem in eandem ſimulationem inducere volebant, primum carnes non immolatas pro immolatitijs (quas ethnicus propoſuit perſecutor) ſupponendo; Deinde jurare volentes neminem in ſuo pago Chriſtianum eſſe. A qua tota ſimulatione politica vir ſanctus alieniſſimus, exclamavit: *Nemo pro me juret. Chriſtianus ego ſum, nec idolis immolata, manducabo.* Talis ille vere Chriſtianus, tales illi Politici & non Chriſtiani, fuerunt. Sed exemplorum & argumentorum fortaſſe jam ſatis, quæ noſtros politicos nihil minus quã Chriſtianos homines eſſe, luce meridiana clarius evincent.

Venio nunc ad ſecundam orationis noſtræ partem,

partem, in qua quanta ſit Politicorum noſtrorum impietas, quàm etiam ethnicorum judicio execranda, quantiſq; pænis ac ſupplicijs digna, dicendum mihi eſt. Quæ ſané pars pluribus verbis non videtur explicanda. Si enim in Chriſtianorum numero non ſunt habendi, Si Chriſto Salvatori noſtro, non factis tantum ut mali Chriſtiani, ſed judicio quoq; ac ſententia multis modis contradicunt, ſi hominum, qui unquam fuerunt, ſceleſtiſſimorum facta imitantur (ut ex his quæ jam diximus patefactũ eſt) quid demum obſecro ad hanc tantam impietatem addi poteſt, aut quid moramur de illis confeſtim ſententiam ferre, & ut monſtra ac portenta mundi, non Chri-

Christianorum tantum, sed
& omnium bonorum viro-
rum societate indignos,
pronunciare? Cęterum, ni-
si multæ adhuc viæ & rati-
ones extremam eorum im-
pietatem nobis commons-
strent, quæ hactenus dicta
sunt, condonari illis & tan-
quam nulli culpæ affinia,
haberi volo. Primum enim
hoc unum, quantum est in
nostri temporis Politicis,
flagitium & scelus quod Re- 1.
ligionis conservationē vel
nullo loco habent vel nisi
in secundis aut etiam extre-
mis ponunt: quód Zelum 2.
Catholicorū pro religione
pugnantium, pro religione
asserenda ardens studium,
pios labores, graves impē-
sas, pro summo furore &
amentia ducunt: quod ipsi 3.
religionis ob causam quam
&

& profitentur, nec unius teruncij jacturam æquanimiter ferunt. Hic inquam sacrosanctæ Religionis (qua una salva, salus consistit omnium sempiterna) contemptus, nausea, fastidium, quantum scelus, quám immane flagitium, quám certum & exploratum hominis perditissimi argumentū est? Cui enim ille peccato, cui sceleri, fraudi, flagitio consensum & operam præbere suam reformidabit, qui totius pietatis fontem atque virtutis vinculum, *Religionem*, despexit? Quem ille in furto, in rapinis, in adulterio, in fraude, in mendacio, in quavis libidine aut cupiditate, scrupulum ponet, qui *Religionis* causam despectui habere, id est, Dei rerumq; divinarum, curam amorem,

rem, affectum omnem, animo eiicere suo, potuit?

Sed agam pressius. Vereor enim ne molestus sim vobis Auditores, aut ingenijs vestris diffidere videar, si de tam perspicuis rebus diutius differam. Surgant ethnici & infideles, qui Politicos nostros de hoc religionis contemptu, condemnent. Senatus Romanus totius orbis tribunal supremum, sic Religionis causam omnibus rebus antetulit, ut in singulis consessibus, de Divinis rebus priusquam de humanis ad Senatum referretur; quam etiam ob causam, non nisi in templo aliquo convenire, & qui eo die Senatum habuit, immolare prius hostiam auspicarique debuit, ut author est

Lib. 14. cap. 7. est M. Varro apud Aulum Gellium. Sic isti terrarum Domini religionis causam etsi vanissimé, non nisi primo semper loco habendā, cæterisque rebus omnibus preferendam, consuerunt. Idem igitur Senatus, Numæ Pompilij libros in agro quodā dum cultores altius moliuntur terram, invētos, quia Prætor lectis rerum summis pleraq; in illis solvendarum religionum esse adverterat, idq; jurejurādo affirmare paratus erat, publicé in conspectu populi, cremari jussit. Adeo religionis quam tenebant, vel minimam repræhensionem non ferendam, consuerunt. Alexander Severus Imperator ethnicus, audita controversia inter Christianos & gentiles quosdam, de

Tit. Liv. Dec. 4. lib. 10.

Aelius Lampridius in vita eius.

fundo

fundo & loco quodam publico, quem Christiani orãdi in eo causa occupaverunt, asserentibus cauponibus & popinariis, eum ad se locum olim pertinere, pronunciavit. *Quoquo modo sit, satius esse eo in loco Deum coli quám cauponas exercere*, locumq; Christianis adjudicavit. Non sic ille Imperator optimus de Religione exiliter sensit, aut ita eius causã flocci fecit; ut nostri hodie prudentes scilicet Politici. Quid quod Turcarũ Princeps Mahometicam suam & absurdissimam religionẽ ita religiosé tenet ac colit, ut quoties cum suis proceribus deliberat, professor legis Mahometicæ adesse semper jubeatur, qui attente observet ne quid in Mahometicæ religionis præjudicium

Albertus. Novicampianus in Orat. ad Hungariæ Principes

cium, statuatur. Proh Deū immortalem, sic impurus ille & spurcus Mahometes cum sua uxorum pluralitate, & alijs absurdissimis legibus nihil nisi carnem & libidinem spirantibus, religiosé colitur, ut in supremi Principis intimo senatu, cōtra ejus leges nihil statui quæat nullum adferri præjudicium debeat, primus honor, prima cura, illis deferatur; & Christi Jesu castissima religio, in cujus sanctissimum nomen totus orbis terrarū á tot jam seculis juravit, ita á quibusdam novis Politicis, qui se Christianos vocant, flocci pendetur, ita pedibus proteretur, ut vel nullo, vel non nisi infimo atque postremo loco, ab illis habeatur? Quod demū aut quale hoc

portenti

portenti genus (neq; enim homines amplius dixerim) esse arbitramur?

An hoc postremum impietatis suæ facinus quasi completam suam malitiam, in fine nunc sæculorum invexit Satan, ut quod hactenus per tyrannos ethnicos, per potentes Mahometanos, per nefarios, hæreticos obtinere non potuit, per novos istos Politicos, quasi larvatos quosdam Christianos, & nomine tales reatheos, efficeret? Sic opinor verum erit, quod Christus non sine gemitu dixit. *Putasne filius hominis quum venerit, inveniet fidem in terra?* Inveniet quippe Ethnicos, qui verum Deũ non colunt; Inveniet Judęos, qui Christũ non recipiũt; Inveniet Mahometanos, qui nõ nisi pro Propheta

Politicę Satanę postremę instrumenta.

Luc. 18.

Propheta aliquo, eum agnoscunt; inveniet hæreticos, qui Ecclesiam eius non audiunt; quumq; reliquos invenire deberet orthodoxos & Catholicos, proh scelus, proh pudor, inveniet eos novos politicos, novos atheos, novos Diagoras & Portagoras, qui dudum é civitatibus omnibus pelli debeant; ut veteres illos expulerunt Athenienses, proposita etiam ei mercede, qui illos interficeret, ut de Diagora refert Suidas; An durus vobis hic sermo videtur, novos istos Politicos tanquam atheos, & Deorum atque hominum derisores, civitatibus pellendos? Videte igitur an non idem in eos statuerit Constantius Imperator, Constantini Magni pater.

Suidas in Diagora.

Nobile

ater. Nobile ejus & præ-
larum facinus audite. Im-
erator jam & Augustus
leclaratus, vocatis omni-
us domesticis suis, ait, eos
ui sacrificare Dijs vellent
pud se mansuros loco &
onore pristino; qui id re-
usarent, ut recederent, gra-
iasq; agerent, quod in eos
ravius non animadverte-
et. Quibusdam ergo Chri-
ianis Politicè sacrificanti-
us, alijs veró aulam po-
us quam fidem deserenti-
us, hos apud se retinuit,
agnoq; in honore habuit:
oliticos vero illos, & a-
undines vento agitatas,
ula sua expulit, Dicens,
s *Regi suo nunquam fideles*
re, qui Deo infideles exti-
ssent. Quidni ego civitati-
us pelli merentur, quasi ci-
itati suæ nunquam fidem

Euseb. in vita Constantini. lib. 1. cap. 14. & Sozom. lib. 1. cap. 6.

servaturi, qui Deo suo eam non servarunt, quos tantus Imperator Aula sua expulit, & honore dejecit? Sed gravius adhuc & memorabilius exemplum accipite. Theodoricus Arianus in Africa Rex, ministrū quendam Catholicū habuit, apprimé sibi charum & in delicijs. Hic ut magis Principi suo placeret, & bonum politicum ageret, Arianum se fieri velle, Regi renunciat. Quo ille audito, capitis eum supplicio affici jubet, sic ei dicens. *Si Deo tuo fidē non servasti; quomodo mihi, qui homo sum, servabis?* Si tales hodie Principes, Dominos ac Magistratus, Politici nostri invenirent, tota eorū politia cito evanesceret, & ad simplicitatem Christianam, homini Christiano

Theodorus lector lib. 2. Collectā.

propriam,

propriam, Dicto citius redirect. Certé ut facti sui impietatem non exhorrescant, exitũ tamen & finem quare non pertimescunt? Si Metios Suffetios agunt, & quo inclinet victoria exspectantes, ad omnem se religionẽ interea conformant, cur & consimilem mercedem non commerentur? An non veró gravior est Religionis sacrosanctæ causa, qua Deo & Ecclesiȩ omnis Christianus astringitur, quam sociale fædus, ab homine inter homines, initum? An non simili aut certé leviori aliqua pæna plecterẽtur, meritó & in illos quadret.

At tu dictis Albane maneres?

Sed & illud quoq; iterum atq; iterum dispiciat

politicus fore proculdubio, ut si vincat hæreticus cujus partes simulatione sua juvat, non meliore apud eum loco sit, quam erit Catholicus, qui fortiter sese hosti opposuit. Placet hosti proditio, sed proditor, nunquã placuit. Placent hodie hæreticis, Politici isti & pseudo-Catholici. Sed talis politia, istis summopere displicet.

Schismatici Angli

In Anglia tam Principi, quam toti nobilitati & populo hęretici multo magis displicent, magisq; exosi & suspecti sunt, quos Schismaticos vocamus, id est, qui ab hęresi animo alieni hæreticorum tamen conventicula frequentant, & illis per omnia se conformant, ne aliquod fortunarum discrimen adeant, quàm veri &

Zelosi Catholici, qui nec fidem suam dissimulant, nec alij haberi volunt, quã sunt. Et quidem meritó. Quæ enim illis fides habenda, qui in ipsa fide, fidem non servaverunt? Argumentemur cum Apostolo, *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli deterior est.* Bone Deus. Quid ergo erit Politico, qui domesticorum fidei, qui Religionis totius, curã nullam habet? An non & ille fidem negavit, & infideli deterior est? Certe S. a Cyprianus & b Theophilactus per domesticos hoc loco, fidei domesticos & fideles ad literam intelligunt. Fidem autem negavit hujusmodi ἄστοργος, quia ad fidei abnegationem talis fidelium fratrum contemptus, tum alios

1. Tim. 5.

a Ad Quĩrinum lib. 3. cap. 75.

b. In comment.

alios invitat, tum ipsum ne-glectorem, manuducit. Est quoq; infideli deterior, quia nec infidelis ipse, vel domesticorum suorum, ut fidei ac religionis suæ curam negligit, ut in præcedentibus, ostensum est. Sed dic mihi obsecro bone politice. Ais te Catholicum quidem & esse, & vivere, ac mori Catholicum velle, hocq; tibi homini privato satis esse, si tuam ipse animam serves; nec necesse tibi esse, ut in has te turbas imprudenter des. Laudarem prudentiam tuā, si illa prudentia esse potest, quæ cum impietate conjuncta est. Sed nunc vide, quā prorsus absurdé loquaris. Nonne absurdissimus, & tum patris, tum cujus nomine, indignissimus esses, si civitate tua ab hostibus obsessa,

Politicus infideli deterior.

Politicorum absurda defēsio

obsessa, pro tuis quidem fortunis, pro vita ac salute tua pacisćerere, quibus salvis civitatem hosti traderes, atq; ita liberos ac posteros tuos omnes patria ac paterna hæreditate, spoliares? Neminem arbitror sic malé Politicum, qui hujusmodi civem non inferis omnibus ac diris daret, nec civem, sed proditorem patriæ vocandum, diceret. Atq; tu Police Christiane, ita tibi religionem tuam salvam esse vis, ut civitate ac patria tua hæreticorum potestati relicta, & liberos & cives, & posteros tuos omnes, fide ac Religione Christiana inperpetuũ, spolies. Hoccine politicé factũ putas? Hoccine Christiané & Catholice factũ existimas? Non fides te sceleratissimũ,

esse fidei ac Religionis tuæ proditorem; te fidem negasse, abnegationis fidei causam multis dedisse,& in fideli deteriorem esse, Deniq; id facere, quod nullus infidelis faceret? Si in causis civilibus & in bonis fortunæ ac corporis, non nobis tantum nati sumus, sed patriæ & civibus; quanto magis in causa Religionis & in bonis animæ ac salutis æternæ, non nobis tantum renati in Christo sumus, sed toti Ecclesiæ, cujus membra sumus, toti Christianæ societati cujus filij & fratres sumus? maxime vero illi Christianorum societati, illi Ecclesiæ particulari, in qua agimus.

Sicut in corpore naturali non sibi oculus videt, aut pes ambulat, sed toti corpori &

ri & ad bonum totius; sic in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, nemo sibi tantum Christianus est, sed toti Ecclesiæ: juxta illud Apostoli. *Nemo nostrûm sibi vivit: & nemo sibi moritur.* Et rursum. *Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut caput, pedibus, non estis mihi necessarij: sed idipsum pro invicem sollicita sunt membra: & si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra.* Si ergo ô Politice, membrum Christianæ societatis es, quomodo illa laborante, & tot ac talia ab hæreticis patiente, nihil cõpateris? quomodo ut tuo privato commodo prospicias, fratrum tuorum omnium salutẽ, negligis? Quam ergo nobis majores nostri sacrosanctã religionem in-

Rom. 14.

1 Cor. 12.

tegram & sanam in patria aut civitate nostra relique- runt; eam si Christiani su- mus & Reipub. Christianæ boni cives, posteris quoq; nostris quantum in nobis est, integram & illibatam relinquere, debemus. Qui aliter sentit, qui aliter faxit, eam & tuber deforme, & callum obduratū, á reliquo corpore resecare, ut pestem publicam detestari, ut por- tentū quoddam in ultimas terras deportandū, fugere & abominari, oportet.

Stob serm 41. Solon hanc Politiam suos cives docuit, *ut mala publica, non secus quam propria, omni studio curarent.* Rogatus e- nim, quo tandem modo fieri posset, ut nullum in civitate scelus perpetraretur, respō- dit: *Si tam indignarentur illi, quibus non est facta injuria, quā*

quibus

quibus facta est. Sic unius Le-vitæ concubinam à Gaba-onitis nefarié violatam, omnes undecim tribus Israel in prælīū congregatæ, ultæ sunt. Timō rogatus cur homines odisset, respondit. *Improbos odi, quia improbi sunt. Bonos odi, quia improbos non oderant.* Certé urbem Romam, in qua tam multi boni Christiani erāt á Gothis captam atq; direptam fuisse, ipsosq; bonos cum malis acerbam illā calamitatem perpessos fuisse, quia boni malos tolerabant, & propter humanum Diem linguamq; blandientem ab aliis reprehendendis, multó magis corrigendis abstinebant, scribit graviter & docté S. Augustinus. Athenienses profectó melius hac in re instituti, quam nostri hodie

Jud. 20.

Maximus serm. 26.

De Civit. Dei lib 1. cap. 9.

Politici, in schola Machiavelliana hanc politiam didicerant, ut Themistocles consilium de succendenda Lacedęmoniorum classe, quę induciarum tempore in quadam eorū statione constiterat, etsi Reipub. suę utilissimum, tamen quia turpissimum, prorsus reijcerent. Vel hoc plebeium judicium Politicos nostros doceat, ut publicam honestatem ac multo magis pietatem, utilitati seu publicæ seu privatæ, anteponant.

Plutarchus in Aristide.

Sed ad nostra redeamus. Valentiniano juniore imperante, Symmachus Præfectus urbis Romæ, homo ethnicus, potestatem sacrificandi, & idololatriæ liberū exercitium, petijt. Erant in Imperatoris Aula Politici, qui hoc tanto viro concedendum

dendum suaserunt. Sed S. Ambrosius Mediolanensis tunc Episcopus, quid Imperatori scripserit, audiamus. *Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conniventiam, sed fidei studium & devotionis impendit. Ipsis gentilibus displicere consuevit, prævaricantis affectus. Liberé enim debet defendere unusquisquæ fidele mentis suæ, & servare propositum. Quod si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant: mentem tuam nuda vocabula non capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc facit, sacrificat idolis, & quisquis hoc statuit.* Hæc ille sanctus & clarissimus Ecclesię Doctor. Ecce idololatra est, qui idololatriam concedendam suadet. Hæreticus quoq; est,

lib. 5. Epistol. epist. 30.

qui aliquid hæreticis tribuendum sentit, in sacrosanctę fidei nostræ, præjudicium. Omnis hæresis non nisi per tales politicos, profecit. Ignavia & cessione Catholicorum vis & potentia crevit hæreticorum, & ut D. Hieronymus suo tempore dixit: *Barbari fortes fiũt: nostris vitijs, Romanus superatur exercitus*, sic hodie nostris politiis, Catholicus superatur exercitus, Catholicæ franguntur vires, & vexatur Religio. Alia veterum fuit & piorum Imperatorum fortitudo ac pietas. Heraclio Imperium recenter adepto, & inducias á Persarũ Rege (qui tota Syria Imperium spoliaverat) postulante; responderunt impii hostes, *non prius se Romanis pacem daturos, quam Christum abnegasse*

In epitaphio Nepotiani.

Baptista. Egnatius in Heraclito.

negasset Imperator. Quo accepto responso, adeo excanduit pius Imperator, & si maximis nuper cladibus acceptis, ut ingentibus copiis in hostem ductis, & amissa recuperaverit, & totam Persidem igni ferroq; vastaverit. Politici hodie nostri huic Principi á Consiliis si fuissēt, Christi profecto abnegationem ad pacem publicam conservandam non egré concessissent. Quid enim interest Christum abnegare, & universum ejus fidem orthodoxam prodere & prostituere? Nobile sane hoc pietatis exemplum fuit, & Imperatore Christiano dignum. Sed agebatur de capite; & totius Christianitatis jugulū petebatur. Nobilius erat Theodosii junioris Imperatoris alioqui maxime

ximè pacifici, ac plenum pietate pectus, qui ne Persas Christianos in gravissima persecutione ad ejus Imperij loca confugientes, Barbaro Persarum Regi traderet, qui ita eos sibi reddi postulabat, ut ni id fieret, bellum indiceret; cum acerrimo hoste bello potius decernere & fædus obrumpere, quam Religionis causa profugos Tyranno tradere, maluerit. Bellum itaq; maximum ea de causa concitatum est; in quo sæpe victis & fusis Persis á postulato desistere, coactus est. Hic optimus Princeps, si Politicus esse voluisset, quales hęc ætas Politicos videt, omnes Religionis causa exules & profugos ad primũ statim Tyranni postulatum, reddere debuisset. Sed nec mi-

Socrates. lib. 7. cap. 18. & Tripart. lib. 11. cap. 15

nimam voluit Christianæ Religioni quam profitebatur maculã inferre, aut ejus defensionem in re vel minima, ad momentum deserere. Nunc veró alia consilia, hic orbis videt. Cętera fortiter & studiosé curanda sunt. Sola Religionis causa aut tepidé & molliter, aut non omnino, curanda. Põpejus in pugna pharsalica pro Repub. & patrię libertate pugnans, Politicé tamen, tepidé & molliter agere volens, jam inter strepitus armorum clamat, *Parcite enim sanguini*. Cæsar ab altera parte pro sua gloria decertans, vociferatur. *Miles, faciem feri*. Sic fugato Pompejo, vicit Cæsar. Meliorem causam, vicit deterior; quia illa politicé & molliter, hæc Zelosé, & ferventer

Meliorem causam cur vincat pejor.

ter tractata est, Sic per novos Politicos causa hodie agitur Ecclesiæ: imo non agitur, sed agitatur, & agitata deseritur, deserta subvertitur. Sinonis consilium dant, ut pacis causa, equus Græcorum armato milite plenus, quasi palladi sacrum Trojam introducatur, etiã menibus disruptis. Sic enim per Ecclesiæ ruinas, hæreticos in Ecclesiam pacis ac religionis causa, intromittunt. Et ut olim C. Cæsar, Catilinæ conjuratione detecta, Senatui misericordiã suasit, quia & patricii viri participes ejus erant; Sic isti hæresum jam turpitudine & impietate detecta, clementiam Principibus & Magistratibus suadent, quia magnos viros & loco honestiore natos cives, his hære-

Sinonis consilium.

C. Cæsaris consilium politicũ.

ſibus implicatos, vident. Sed ſi audiantur, non ſecus Eccleſiæ libertatem hæretica tyrannis é medio tollet, quam Romanorum libertatem ſuſtulit Cæſar: cujus tunc Conſilia non alió ſpectabant: Popularem auram & patritiorum gratiam hoc ſuo conſilio, captando.

Sed de horum hominum impietate, & quantæ Reip. Chriſtianæ peſtis ſint, pro hujus temporis brevitate, ſatis dictum eſt: pro rei indignitate, ſatis nunquam dici poteſt. unum adjecero, finem faciam. Parricidii accuſatum, rectè defendit Orator maximus, *quod ante ejus criminis ſuſpicionem, vir bonus ſemper habitus fuerit*: & addit; *eum qui parricidij quempiã accuſat,*

Cic. pro Roſcio. Amerino.

sat, oportere ejus qui in crimen vocatur, & audaciam singularem ostendere, & mores feros immanemq; naturam, & vitam vitijs flagitijsq; omnibus deditã & deniq; omnia ad perniciem profligata atq; perdita. Neq; enim tale flagitium in alium cadere posse, quam cujus tota vita, scelere & maleficio contaminatißima est. Politicos igitur contemptæ & desertæ proditęq; Religionis sanctissimæ convictos, cui demum sceleri affines non esse, á quo flagitio temperare se posse, cui non crimini addictos & obnoxios esse, existimabimus? Si enim pietas erga parentes, non sine gravi scelere læditur, si magna vis humanitatis est, si multum valet communio sanguinis, si portentũ atq; monstrum certißimum est. esse aliquam humana specie & figura,

figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut propter quos hanc suavißimam lucem aspexit, eos indignißime luce privarit? quantó magis, quanto verius, quantó fortius, pietas erga Deum non sine immani scelere violatur, nec violatur modo sed & despicitur tantum, sed ut abjectissimum quiddam rebus omnibus, postponitur? Magna est vis religionis, multum valet societas fidei, arctissimum est Christianæ charitatis vinculum: portentum atq; monstrum certissimum est, esse aliquem Christiani nominis, fide ac professione Christianũ, qui per cujus religionis sacramenta renatus est, & factus filius lucis, vocatus in admirabile lumen Dei; illam religionē indignissimé luce privare,

privare, nefarié prodere, deserere, contemnere, vilissimo loco habere, non pertimescit.

Videamus nunc quod ultimo loco dicendum propo suimus, quibus illi technis & fucis (non.n. argumenta dicam) hanc suam novam politiam nostri temporis politici, defendant; ne inauditos se à nobis damnari, quiritentur. Major est (ajunt) hæreticorum potentia, quám ut in ordinem cogi queant: quare lenienda magis quám exagitanda, videtur; consulendumq; magis securitati, quám vindictæ, & accuraté considerandum potius, quid ab illis cavere, quam quid in illos quibus impares sumus, statuere debeamus. Non est igitur spes desperatione quærenda. quum

Politicorum prætextus & objecta.

Bodinus de Repub. lib. 3. cap. 7.

quum ſumma quiete animi leviter agendo, concordi omnium commercio vivere poſſimus. Prudentes potius naucleros imitari oportet, qui tempeſtati cedendo, naufragium evadunt. Hæc illi, & inter alios Bodinus. Specioſa oratio, ſed meretricia; certe mollis & fæminea, nec viro digna, nedum Chriſtiano. *Quis enim ſpurius iſte Philiſtæus & incircumciſus,* 1. Reg. 27.
qui exprobravit acies Dei viventis? Qui iſti ſunt Allophijli & ſpurii hæretici, qui agmina Catholica ſuſtinere ſe poſſe, confidunt? Dicemus contra, qui Dei beneficio veré Catholici ſumus: *Non eſt conſilium, non eſt ſapientia, non eſt prudentia adverſus* Prov. 21.
Dominum. Portæ inferi non prævalebunt contra Eccleſiam Chri- Matth. 16
ſti, ſuper Petro ædificatã, multo

minus

minus hæreticorum Phalanges. Si cum Marco Aurelio, Antonino pio dicto, nos Catholici dicere non possumus; *Non sic Deum colimus, nec sic vivimus ut hæretici non vincant*; at certé cum Scriptura dicere possumus: *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri, pugnabimus.* Cum Davide dicemus. Vos hæretici *venitis ad nos cum gladio & hasta & clijpeo*: in fastu & superbia. Nos autē Catholici venimus contra vos, *in nomine Domini exercituum*, nomine Jesu Christi, cujus Ecclesiam tenemus, cujus Sacramenta, cujus fidem integram, servamus: quę vos omnia perditissimi homines nefarié violástis. Dicemus audacter cū Propheta, *Non est Dominus cum Israel*

Vulcat. Gallus in Avidio Cassio.

Psal, 19.

1, Reg, 17.

2, Par, 25.

Israel & cunctis filiis Ephraim. Non est Deus cum schismaticis, cum hæreticis, qui quotidie blasphemant nomen ejus. Dicemus deniq; cum fideli Jonatha: *Non est difficile Domino, salvare vel in multis* 1. Reg. 14.
vel in paucis. ubi autem Politicorum plena sunt omnia, & fides in Deum nulla, nihil mirum est, si fiat illis secundum fidem eorum. Alioqui quis nescit á parva Catholicorum manu, ingentes hæreticorum copias fusas, fugatasq; persæpe, extitisse? In recẽti memoria est, Guisianorum fratrum cum paucis millibus nobilissima victoria, cæsis & abactis é Gallia quadraginta germanorum hæreticorum, milli- *Anno*
bus. Cæterum si nulla esset 1587.
causæ imparitas, nulla ponenda in Deum fiducia; quis

etiã illud non videt, singulari Dei beneficio majores adhuc esse Catholicorum Principum vires, quàm sint hæreticorũ? Cujus hoc ego argumentũ maximũ facio: Si potentiores illi essẽt, jam dudum Catholicorũ Ecclesiæ, nullæ fuissent. Quod ut in Donatistis sui temporis notavit Augustinus, ita in calvinistis nostri temporis, vero verius est. Ait enim illis. *Sevire vos nolle dicitis. Ego non posse arbitror. Quando enim potuistis & non fecistis? unde ostenditis quod plura faceretis, si possetis.* Hæc ille. Sed Politicũ istud est, hæreticorũ potentiã amplificare, ut ab illis impugnandis desistere non ignavię sed prudentię, nec voluntati, sed necessitati, deputetur: quẽ inanissimũ fucum jam satis abstersũ puto.

Epist. 48. & contra petilianũ. libro. 2. cap. 83.

Di-

Dicunt alij de rebus leviculis, hanc totã cum hæreticis contentionem esse, neq; opus esse rem armis trãsigi, quæ vel in ceremoniarum discrepantia, vel in subtilitatum disquisitione minus necessaria, tota consistat. Omnes quæ dicũtur hodie hęreses, Christum ac certã Religionẽ profiteri, & in hac professione ac Religione, salvũ fieri unumquẽq; posse. Quos ego homines aut nihil in religione intelligere, aut nullius religionis esse, dixerim. Itáne vero Ecclesiam vel Catholicã & verã, vel hæreticã & falsã tenere; & sub Antichristo capite vel esse, vel non esse; res est levicula? quum extra veram Ecclesiã, nullum esse salutis locum, omnibus etiam hodie hæreticis in cõfesso sit?

Controversiæ modernæ de religione gravissimæ.

Sacramentorum usus quorũ hæretici majorem partem abrogarunt, quæq; retinent, nefarié contaminarunt, ad rem Religionis parum aut nihil facit. Sacrificio externo Deum colere vel non colere, & in eo sacrificio de idololatriæ horrendo & pudendo scelere, vel falsó vel veré accusari, res exilis est. An ex sola fide salus comparetur, aut ad salutem bona opera necessarió requirantur, res est magis subtilis, quam cognitu necessaria. Taceo cætera, quæ propemodum infinita sunt, quia omnia dicẽdi hic, nec locus, nec tempus est. Quod autẽ dicitur, omnes hodie hæreses Christum profiteri & certam Religionem esse, Id si ita est, vide quæso, ut in atheismi baratrum præcipitamur. Si enim omnis &

Atheismi Barathrũ.

quælibet hæresis Christianorum, Religio est, profectó è converso, omnis Christianorum religio, hæresis est: Et sic rursum nihil est hoc totum, quod vocatur Religio. Hæc est hujus Neopolitæ analysis. Sane sicut olim ter impius Mahometes, ex variis hæresibus Nestorianorum & Entychetistarum, admixtis Judaicis ritibus, suum conflavit Mahometismum, & conscripsit Alcoranum; sic isti belli Politici, ex omnibus hodie sectis, admixta etiã Catholica veritate, novũ nobis machinantur & parturiunt Atheïsmum.

Sed ad alia. Religio (inquiunt) *ad humanæ societatis vinculum, inventa & tradita est: Ergo propter illam, non est ad arma veniendum: ne dum pro illa pugnamus, ejus primario usu ac fine eam ac nos ipsos præpo-*

Repliq. à la Remonstrance du Catholiq. Anglois. Pag. 191.

stere, spoliemus. Sic ratiocinatur anonymus quidã Politicus, in Replica contra Admonitionem Catholicã sub nomine Anglocatholici ad Gallocatholicos, erudité & elegantissimé conscriptam. Sed hominis stuporem quis non videt? Si enim ad humanæ societatis vinculum inventa Religio est (quamquã nec solus nec primarius ille si tamen ullus Religionis finis est; quæ ad Dei cultum & animarum salutẽ cælitus nobis tradita est) sed si ille Religionis ullus finis esset, profectó quantó humana societas bonũ est excellentius & magis necessarium, tanto haud dubiè pro Religione quę eã cõservat, fortius est decertandum. Alioqui quia Civitates ad pacem civium & societatem

Ad pacem iuvandã bellum necessarium.

retinendam extractæ sunt, propter earum conservatione non est ad arma veniendum: sed ubi primum ad mœnia accedit hostis, ne pax civium perturbetur, aperiendæ cōfestim hostibus portæ sunt. Quis hunc Politicum elleboro aliquo ad purgandum cerebrum, indigere non videat.

Dicunt alij. *Si Deus justus & potens est, quæ ejus sacrosanctam Religionē violant, ab ipso vindicanda, relinqui debēt. Volet enim quia justus est, & poterit, quia potens.* Sic Antignisartius quidam Politicus. Et quæ vox magis vel absurda vel blasphema efferri potuit: Judæorum hæc vox fuit Christo. Redemptori nostro in Cruce pendenti, insultantium. *Si filius Dei es, salva temet ipsum;*

Artic. 88

Matt. 27.

Deo soli Religio committenda non est.

ipsum; descende de Cruce. Et iterum. *Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult.* Sic enim isti Neopolitici laboranti Religioni & Ecclesiæ in Cruce positæ insultant impié, dicẽtes Papistę isti confidunt in Deo. Causam Dei esse dicunt, Si ergo causa Dei est, liberet eos Deus si vult: Descẽdere eos de Cruce faciat, & ab hæresum vexatione, immunes reddat. Sed & hęc vox nonne atheismum vehementer redolet? Nam ut Judæi sic in Christum crucifixum blasphemabant, quia eum esse verum Messiam nõ credebant; sic isti Politici sic in Religionem Christianam sub cruce positam, blasphemant, quia totam hanc religionem, nullam esse credũt. Deinde sic apud se isti boni athei, ratiocinantur, Si hæc Christianorum Religio ve-

Atheismus Politicorum.

ra est & ex Deo, certè Deus eam ab hac vexatione, liberabit. Non liberat autem: ergo nihil est hoc totum, quod vocatur Religio. Sic iterum atq; iterum suum nobis atheismum larvati isti Christiani & belli Politici, eructant. Alioqui quidni & cætera omnia maleficia, furta, homicidia, adulteria, divinæ quæq; vindictæ isti belli Politici, relinquunt? Nam & contra hæc, justus & potens Deus est.

Agunt postremó exemplis; quibus ubi satisfecero, finē dicendi faciam. Cyrus Rex sapientissimus non solū Diis patriis & majorum suorum, immolavit, sed & hostium suorum Deos coluit, planeq; nulli non Deo, sacrificium obtulit. Alexander maximus ille Monarcha,

Exempla Politicorum.

Xenophō libro. 3. de Pædag.

quum Deorum cultor esset, Judæos tamen diversissimę Religionis homines ingenti favore complexus est; legemq; illis suam, ritus, ceremonias, intacta servavit.

Josephus Antiq. lib. 11. cap. 8.

Turcarũ Princeps, Christianos populos in sua ditione tolerat, nec ferro & flamma excindendos putat, utcumq; nominis Christiani hostis ferocissimus. Phiolosophorum veterũ contrariæ sententiæ per totam Græciam, Athenis maximé, salva interim & incolumi Repub. personabant, & nullo prohibente sectatores habebãt. Quid, quod & Judæorum quum variæ sectæ essent, Pharisæi, Saducæi, Esseni, neutra tamẽ alterã persequebatur? Postremò, pagani omnes erga diversæ religionis cultores, perpetua mansuetudine

ſuetudine uſi ſunt, quam & nos imitari par eſt. Docent hæc omnia, Florentiſſima olim Regna & Reſpub amplisſimas cum religionum & ſectarum varietate optimé conſtitiſſe, optimé etiam & hodie conſtare poſſe. Hæc omnia anonymus ille politicus, in Replica ſuperius allegata. An non vero pulchra eſt hæc tota diſputatio & Chriſtiano homine, digna? Sed me reprimo. Iſtos enim Neopoliticos in Chriſtianorum numero minimé habendos eſſe, jam concluſū eſt. Alioqui ſi Chriſtiani eſſent, & Chriſtianam religionem, unicā in terris veram ac ſanctā eſſe crederēt; ſi (ut pulchré ſcribit S. Auguſtinus (*neq; in cōfuſione paganorū, neq; inpurgamentis hæreticorū, neq; in lāguore ſciſmaticorū, neq;* in

De vera religio. Cap 5.

in cæcitate Judæorum, quærendā esse religionem scirent, sed apud eos solos, qui Christiani Catholici vel orthodoxi, nominantur, id est, integritatis custodes & recta sectantes; profecto non à paganis, à Turcis & Judæis, non à confusione, languore, cæcitate hominū toto cælo errantium, exempla peterent; nec quia apud illos confusio, horror & cæcitas fuit, propterea & in luce, ordine, atq; unitate sanctissimæ sponsæ Dei, Ecclesiæ Christi, eadem tolerari posse disputarēt. Hæc enim omnia, ad Babylonicam illam & Diaboli civitatem, pertinent. Alia est Civitatis Dei forma, alius ordo, alia unitas, alia divina lux & claritas, quæ tenebras secum admisceri, non patitur. *Quæ*
2. Cor. 6. *enim conventio Christi ad Belial, aut quæ societas luci, ad te-*

ad tenebras? aut quæ participatio justitiæ, cum iniquitate? Et cum dicat Apostolus, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, iste bonus Politicus formam procurandæ religionis ab infidelibus nos petere, docet. Sed de hoc confusionis Babilonicæ & unitatis Ecclesiasticæ lato discrimine disputantem S. Augustinũ, atq; huic toti argumento satis facientem, audiamus. Quum varias philosophorum sectas & opiniones cõmemorasset, *has* (inquit) *& alias pené innumerabiles philosophorũ dissensiones, quis unquam populus, quis Senatus, vel dignitas publica, impia civitatis dijudicandas, & alias probandas ac recipiendas, alias improbandas repudiandasq;, curavit; ac non passim sine ullo judicio confuséq; habuit in gremio suo tot contro-*

De civit. Dei lib. 18 cap. 41.

versius hominu, dissidentium non de agris & domibus, vel quacumq; pecuniaria ratione, sed de his rebus quibus aut misere vivitur, aut beatè: ubi etsi aliqua vera dicebantur, eadem liberaliter dicebantur & falsa prorsus, ut non frustra talis Civitas mysticum vocabulum Babylonis, acceperit. Babylon enim interpretatur, confusio. Nec interest Diaboli Regis ejus, quam contrariis inter se rixentur erroribus, quos meritò multæ variæq; impietatis pariter, poßidet. At vero gens illa, ille populus, illa civitas, illa Respubl. illi Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo pseudoprophetas cum veris Prophetis, pari licentia confuderunt. Hæc ille. Non ergo, quia in Babylone paganorũ confusio religionum tolerabatur, idem absurdũ in vera Dei Ecclesia ad-

admittere, oportet. Imo hęc est veræ Religionis nota certissima, ut alio in loco disputat Augustinus, *quod unum Deum in una Religione & fidei unitate. arctißimê cõjuncta colat*; ab omni secta, schismate, devisione, non secus quám á certa totius Religionis peste & pernicie, abhorrens. *Unus Deus, una fides, unum baptisma. Nec Deus divisionis Deus est, sed pacis.* Nihil potuit absurdius ab istis Neopoliticis proferri, quam hęc infidelium exempla, qui sectas aluerunt.

De vera Relig. cap. 25.

Ephes. 4.

Nec sic tamen per omnia quamlibet Religionem promiscué amplexi sunt, ut iste bonꝰ politicꝰ, suadere vult. Notũ est cõtra Phorenses à reliquis Gręcis sacrũ bellum gestũ esse, propter spoliatũ Apollinis Delphici templũ. Si puduit Romanos tot phi-

Pausanias lib. 10.

Cic. lib. 1. de legibus

loſophantium ſectas in Græcia graſſari, ut Lucius Gellius Proconſul Athenis quũ eſſet, Philoſophis in unum convocatis, author illis fuerit, controverſiis illis ſuis modum aliquando ut imponerent; qua etiam in re ſuam illis & operam pollicetur, & authoritatem interponere, paratus fuit. Si Cyrus etiam hoſtium ſuorum quos vicerat, Deos coluit, tanto illi turpius, ac dedecoroſius id erat: juxta lepidum illud in ſimili ſemel apud Romanos errore, Catonis dicterium. Ridens enim eos, qui in triumpho Deos hoſtium Capitolio intulerunt, *ut quid* (inquit) *eos Deos colitis, qui ſuos cultores, tueri non poterãt?* Denique ſi ſacerdotii Judaici dignitatem reveritus Alexander favit Judæis & Principes gentium ad ſuorum

Deorum cultum alias gen-
tes non coegerunt, quis ne-
ſcit, quis ignorat, quis non
meminit Euangelica prædi
catione ſemel per orbem
divulgata, omnes in univer
ſum gentes, Romanos, Græ-
cos, Judæos, contra eam
unanimiter inſurrexiſſe, &
per omnes ætates ferro &
flamma atq; innumeris tor-
mētis, eos perſecutos fuiſſe?

Hoc unū advertere Poli-
ticos iſtos par erat, Omnia
vitia contra unam virtutē,
omnia falſa contra unam
veritatem, omnes ſectas cō-
tra unam veram Religionē,
perpetuó conſpirare, Pha-
riſæi, Saducæi, Herodiani,
Romani, contra unum Chri
ſtum conſpirârunt, ut eum
tentarent, accuſarent, cruci-
figerent, poſt Reſurrectionē
quoq;, ex memoria hominū
delerent, varii morbi, unū

Una vera religio ab omnibus falſis impugatur.

corpus occupant, varia zizania, unum agrum replēt, varij fuci, unum germanum colorē inficiunt, seq; invicē omnia compatiuntur. Sed una sanitas est, quę á quovis morbo corrūpitur, una bona seges, quæ á quovis zizanio impeditur; una rei cujuslibet germana species, quæ à quolibet falso fuco, vitiatur. Sic una est sacrosācta Religio, qua uni vero Deo servitur, quę nullā falsitatē amplectitur, quū vanæ & falsi nominis Religiones sese omnes amicé deosculantur, & ut unā verā exterminēt, arctissimé cōspirāt.

Turcicæ tolerationis exemplum

Ad Principis Turcarum exemplum Politicum quod attinet, quæro ab isto bono Politico, in qua exempli parte seipsū constituat. An ut ille cum suis Hæreticos toleret, sicut Turca tolerat

Chriſtianos; an cōtra, ut ſic ille cum ſuis ab hæreticis toleretur, ſicut á Turca, tolerantur Chriſtiani? Si prius vult, nullā, certé illi hæretici gratiā referent, quorum hic libertatē procurat; qui jugum & conditionem Chriſtianorum ſub Turca, intolerabilem eſſe ſervitutem, non ignorant. Neq; ſub jugo Catholicorum ulli noſtri temporis hæretici ſic vivere vellent, ut ſub jugo Turcarum, vivunt Chriſtiani, Imó libertatem illi flagitant prorſus liberrimam, & ut pari cum Catholicis loco habeantur, paribus priuilegijs pari honore, pari libertate, fruantur. Si poſterius vult, nonne ille bonus Catholicos (talem enim ſe dicit iſte Politicus) vobis Auditores videtur,

qui

qui nos omnes vellet sub jugo hæreticorū, durissimā servire servitutem, ne pax Reipub vel ad momentum, perturbetur? Et hoc oppinor magis isti Politici vellent; quia Catholicos se dicunt, sed vel hæretici vel athei, sunt.

Pharisæorum & Saducæorum permixtio.

Pharisæorum & Saducæorum in Synagoga Judaica permixti, sub ejus Status inclinatione accidit (alioqui nec Samaritanis coutebantur Judæi, nec commercia gentilium ferebant) quum jam sceptrum Juda, ad alienigenam translatum esset: cujus etiā translationis causam hæc permixtio dedit. Saducæi enim in idem ius admissi cum Pharisæis, Hircano Pontifice pulso, cujus tamen opera in Sanedrim cooptati sunt, soli dominari voluerunt. Quod quum es-

Genebrard in Chron. ex libro de rebus Regum Israel templi secūdi.

ficere non possent, Hircano á Pompejo restituto, ad Herodem extremum imperium detulerunt, An volunt isti Politici, ut permixtis nobiscũ hęreticis, Ecclesia quoq; Christi in his mundi partibus finem accipiat, sicut ex ea permixtione, Synagoga? Id opinor: & hoc per eos Satanam moliri certissimé, mihi persuadeo. Nam & Julianus apostata ad totum Christianismum extirpandum, non alio consilio usus est, quám ut ad Imperium evectus, omnes Christianorum hæreses, pariter cum ipsa Catholica, religionis suæ libertate frui, & Episcopales sedes, in urbibus occupare permitteret, ut ipse Ammianus Marcellinus homo ethnicus in sua nobis historia annotatũ, reliquit. Eadem ante impii quidam

Satanæ scopus ex politicorũ opera.

Ammianus Marcell. histor libr. 22. Socrat. libro. 3. cap. 1.

Imperatores Zeno & Anastasius usi sunt, ut una Catholica religione pessũdata, suas quas clanculũ fovebant hęreses, propagarent. Quorũ alterum Symmachus Papa, his verbis egregié redarguit. *Quid inter est, utrum Paganus, an (quod est deterius) sub nomine Christiano, veram sincerãq; traditionem Apostolicæ regulæ conetur infringere, atq; in hanc prorumpere cæcitatem, ut cum in illis regionibus, cunctæ prorsus hæreses opiniones suas habeant publicé licentiam profitendi: sola Catholicæ communionis libertas putetur ab his, qui se religiosos existimant, subruẽda? Quæ si putatur error (quod non licet) um cæteris, quibus illic facultas est, agere sinatur erroribus: si inimicagritas æstimatur, sequenda potius fuerat, quám violenta persecutione, vestienda.* Nihil ergo hactenus ab istis Neopoliticis

In libello Apologetic: adversus Anastasiũ Imperat.

ad novā Politiam stabiliendam, non modo firmum aut solidū, sed ne veri simile aut probabile allatum est : & sunt tamen hæc quæ protulimus validissima eorum atq; præcipua, fundamenta.

Quæ quū ita sint, illis sanè meliorem mentem, & verū tandē pietatis sensum, ex animo exopta. In hac autem sua execrāda Neapolitia si persistunt, & Ecclesiam Christi Catholicam simulatione sua perdere ac prodere, partūq; parturientē perpetuò præpedire porro pergunt; hoc hominum genus ab omni Reip. & societate Christiana, tanquam hostes ejus maximè infensos studiosè cavendos, & si opus fuerit abarcendos, omniq; loco & authoritate dejiciendos, censeo.

Finis.


BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS

Nerli.

Non audiunt voces eorum
Et exivit sonus illorum
Rara concordia fratrum
Loquebantur variis linguis
Stant qui potovant stabant, qui non po-
poteruat iacebant.

